

etiam posteritate deinde in Iacobaea pronepte extincta,
vnius Stephani familia superstes remansit. mort. 1377.

*Tabulas diuisionis exhibet Auentinus, quae, uno & altero
fratre extincto, saepius iterumque mutatae sunt. Cum autem
fatorum prouidentia, quod diximus, disiectam tot portionibus
Boicam coniunxerit iterum: non est, quod operose eandem hic
exponamus. Ceterum attritis ita ac debilitatis viribus conti-
git, vt Palatinis facilius esset, Rhenani Electoratus iura
contra infirmos aemulos tueri. Vices enim mutare cum Boicis
ducibus ea in re promiserant olim Ludouico Imperatori. Sed
odii haec semina fuerunt, quae nulla aetas euellere poterat ex
animis principum consanguineorum.*

§. XV. Nihil moderatores Stephani filii fuerunt,
qui, incertum an patris voluntate, portionem paternam
iterum distribuerunt, vt FRIDERICVS Landsbutani,
STEPHANVS Ingolstadiensis, IOHANNES Monachensis ra-
morum satores essent (z). Sed tamen primi & alterius
principum progenies iterum defecit: tertii propago con-
tinuauit. Is mortuus est an. 1397.

*Ingolstadiensis in nepote finita 1445. Landshutana in
pronepte 1504. Notabilia sunt a) eieratio iurium in Marchio-
natum Brandenburgicum a singulis fratribus Carolo IV. Imp.
fasto. b) Odia diffidiaque principum agnatorum de finibus
limitibusque diuisarum regionum. Neque ego crediderim, ul-
lum vniuersae Germaniae principatum toties diuissum fuisse, vt
nihil mirum sit, potentem domum, tot dominationibus oneratam,
diffidiisque concussam, exinde saepius titubasse, vt ruinae pro-
xima videretur.*

§. XVI. WILHELMVS & ERNESTVS, filii Io-
hannis Monacensis, iterum sua partiuntur; sed illo 1435.
mortuo, omnis in hunc translata est hereditas. Ea au-
ctus titulo is vti *Dei gratia* incipit, nouo (a) tum inter
principes Germaniae exemplo, m. 1438.

B b b 3

Memo-

(z) Quo tempore Boioaria tot suffragia habuit in comitiis im-
perialibus, quot aluit principes, quae tamen ipsa cum prin-
cipum familiis iterum expirauerunt. Causam alibi dedi,
quoniam suffragia viribus aestimata sunt, non autem nume-
ro. Ut adeo prouinciae nulli vel multitudo corundem pro-
desse posset vel obesse paucitas.

(a) Ita quidem perhibet Auentinus lib. 7. p. 508. aliquique: sed
fallun-